

tur suspicio , sermonem ad alia convertit . Intercesserunt consultationem illam ac supplicii diem menes ferme octo : quibus adeo perpetuo constantique silentiores compressa est , ut ne minima quidem suspicio aut conjectura ad Carmaniolam pervenerit , quum multi aliquin ex eo ordine , & longa familiaritate conjuncti , atque admodum inopes essent , quorum quilibet quantumvis auri ea confessione reo exprimere potuisset . Temporis igitur spacio (quia cum Philippo jam de pace agi cœptum erat) accersitus ille Patrum literis Venetias venit . Eum Patavino flumine scapha devectum , frequentes Patricii de more mutua gratulatione exceperunt , exceptumque in curiam , haud ignari eorum , quæ pararentur , præcipua comitate perduxerunt . Hic subjectus quæstioni , & literis , quas suas esse negare non poterat , & domesticis testibus convictus , undetridcesimo die postquam in custodia esse cœperat , ad geminas columnas securi est percussus : ejus bona in publicum sunt redacta . Accusationis capita fuere : subfidium Trivisano denegatum , & Cremona perfida cunctatione Philippo servata . Ante supplicium de eo sumptum , Mantuano Principe illis ipsis diebus , in quibus Carmaniola Venetias accersitus erat , in Galliam ad exercitum dimisso , Reipublicæ summa Georgio Coronario , & Marco Dandulo legatis decreto permissa est . Quibus in provinciam nondum profectis , Picininus prosperarum rerum cursui insistens , victoriam vel Carmaniola præsente inchoatam studio sequebatur , & nisi pontem Ollio impositum oppugnans grave vulnus accepisset , quo aut pereundum illi , aut diutius languescendum medici judicarunt , brevi omnia quæ Veneti in Cremonensi ad eam diem tenuerant , recepisset ; cuius clavis audacissimo hosti inflictæ nuncius effecit , ut Monferratensis Marchionis , quem principatu Picininus dejecrat , adventus lætior aliquanto fuerit . Is postquam suas opes fractas vidit , Alpes transgressus , per Taurinos in Germaniam transiit : inde Taurifium delatus , ad Vene-

*Carmaniola
perfida
convictus
securi per-
cutitur.*